

III. *Institutiones Philosophicae*
satiscimus donec somno refecti ad pristinam attentionem redire liceat; brachio etiam male affecto, frustra mens motum imperat; si paralyticum sit, aut si resecti fuerint nervi, non magis voluntati obsequitur, quam corpus aliud a nobis longius remotum.

Tres sunt præcipue Philosophorum hypotheses circa conjunctionem animæ. Altera vulgaris, quæ statuit animam in corpus & corpus in animam *reali instuxu*, seu *physice agere*, & hæc hypothesis dicitur *systema influxus physici*. Altera Cartesianorum, quorum sententia est animam non agere physice in corpus, nec corpus in animam, sed tantum *occasionaliter*, & dicitur *systema causarum occasionalium*. Tertiam tandem Hypothesim invenit Leibnitius, statuitque nullo modo neque physique, neque occasionaliter agere corpus in animam aut vicissim, sed tantum *harmoniam* quandam seu consensum inter corporeos motus & animæ cogitationes reperi, diciturque *systema harmonie praestabilitæ*. Tres illas per celebres hypotheses fusius explicabimus.

Substantia una dicitur influere in alteram *physice*, si quædam realitas, quæ inhæreat uni substantiæ, transfertur in alteram. Hinc corpus nostrum organicum physique influere dicitur in animam, quantum ex corpore in animam transfertur realitas aliqua; anima vicissim physique influere dicitur in corpus, dum anima in corpus transfert realitatem aliquam. Hinc in *systemate influxus physici* anima moveret-